



PRAELOQVIVM.

Vod unusqvisque mortalium, in primis verò Literatorum, *Typographiae* multa debeat, tam certum omnino est, quam qvod certissimum. *Reges enim*, inquit Dn. D. Michael Majerus, in Vero Germaniae Invento, *Principes, Comites, Barones*, tam ignobiles, quam nobiles, tam seculares, quam Ecclesiastici, *Theologi, Medici, Jurisconsulti, Philosophi, Historici, Poëtae*, omnesqve alii, ex una arte *Typographica* multum se in rerum cognitione adjutos fatebuntur. Qvare non mireris, B.L. nos, Patronorum jussu, Exercitium meditantes publicum, hanc, nec aliam assumpsisse materiam. Siqvidem cùm alii multa, nos omnia arti huic incomparabili debemus: cum alii propter rerum cognitionem literarumqve studia, nos insuper et iam propter vitam, Genitorem qvippe venerantes *Typographum*, vitaeqve conservationem totos ipsi obstrictos agnoscimus, fatemurqve. Et qvanqvam de *Typographia* hactenus multi, iiqve Celeberrimi pariter ac Doctissimi Viri memoriae non nihil proditum reliquerunt; in qvorum numerum referas modò laudatum *Majerum*, itemqve *Polyd. Virgilium, Henric. Salmuthium, Thom. Lansum, Jo. Henr. Bæclerum, Dan. Cramerum*, aliasqve non paucos; interim non constat tamen, de illa publice hîc fuisse disputatum. Ad nos proinde cùm non una de causa, ut diximus, pertinere videatur literarum hoc praesidium, constituimus, brevibus naturam essentiamqve ejus, pro ingenii declarare modulo. Faxit DEUS, ut feliciter succedat!

A 2

I.Evo-